



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**R. P. Christophori de Ortega Sanclementini, E' Societate  
Iesv. Qvondam in Provincia Toletana Theologiæ  
Scholasticæ publici Professoris ... Tractatvs Dvo, De  
Trinitate, Nec non, Incarnatione**

**Ortega, Cristóbal de  
Lugduni, 1664**

Disputatio V. De iudiciaria Christi potestate.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94251](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94251)

cum auxiliantem, tum habitalem fuit promeritus, vt eode modo ostendebamus.

Dixi pluribus, non Angelis omnibus; quia eorum aliquibus, tam bonis quam malis in statu viatorum auxilia gratiæ, & quæ alia eorum obseruationi, aut transgressioni natura præcesserunt promereri illis Christus non potuit. Nempe, Protoperentium tentatoribus demoniis, eorumque custodibus Angelis, vt loco citato fusius ostendimus: Si autem reliquis Christi humanitas donæ gratiæ meruit: ac Beatis omnibus essentiali, & accidentali gloriam, cum Angelis omnibus vniuersis dignitate emineat, Christum secundum humanitatem viatoribus fere omnibus, Beatis verò omnibus caput extitisse compertum est.

CERTAMEN III.

Quomodo Christus, quæ homo cæterarum creaturarum caput existat.


**G** Alatinus 7. de arcan. Catholica veritat. à cap. 2. Catherinus lib. de eximia Christi prædestinat. docent Christum, quæ hominem, reliquarum etiam omnium creaturarum esse caput: quia in earum omnium effectiõnem influat, & conseruationem. In quam sententiam confirmandam Rabbinos, nescio quos, quasi Dei consiliarios inducunt: qui aiebant Deum in odium peccati Protoperentium nostrorum præuisi decreuisse non creare mundum; quem tamen postmodum ne Christo, eiusque sanctissima Matre careret eorum meritis motum mundum totum, & quæcumque in illo facta à Deo sunt creare decreuisse dicebant. His Recentiores nonnulli apud Vasquez, vbi proximè cap. 2. addidere Christum in creaturas ipsam antecedentes duratione meritorie solum influxisse: in subsequentes vero omnes physico etiam influxu instrumenta. Ji, vel per se, vel per Angelorum ministerium. Communis ratio est, quia id sine incommodo vilo meritis Christi tribui potest. Maxime cum visibilis saltem, rerum vniuersitas ab Angelo Christi humanitate, & virtute, & dignitate, & virtute inferiori, & pendeat, & gubernetur.

**2** Verum, vt in hac opinione Deo indignam in decretis suis inconstantiam, & mutationem omittam, sic opinantes inani quadam, atque impia fortasse pietate ducuntur. Atque in primis ille Rabbinoꝝ discursus crassus est, & somniantium similis historia. Ratio vero contra receptam hætenus à tota Theologia, & Ecclesia Augustinianam doctrinam de gratia creationis, & gratia per Christum, siue Christi. His enim vbiq; magno studio Augustinus inter sese distinguit: vt constat ex epist. 90. epist. 95. epist. 105. vbi ex professo probat gratiam creationis, siue bona hominis naturalia nullatenus gratiam per Christum esse: circa mediumque epistola ait. *Meruit nobis Christus, vt iusti essemus, non, vt homines, vel liberi essemus.* Vnde, & illud vulgare, ac tritum Theologis omnibus proloquium manent. *Christum mortuum esse non vt mortui cederentur, sed vt viui iustificarentur.* Illud autem quod citati Recentiores addebant Christum in creatura omnia mundi, quæ ipsius existentiam fuere duratione subsecuta, non meritorie solum, quod nuper impugnabamus, sed physico etiam concursu physice influxisse, & paradoxum est, & doctrinam nunquam nobis probatam, vel probandam de potentia obedienciali actiua creaturarum supponit.

**3** Dicendum igitur est cum Vasquez proximè, Soares sect. 1. §. solum ergo Christum quodammodo reliquarum creaturarum caput esse, quatenus eas ordinat ad hominum salutem, atque ex eius incarnatione creatura vniuersa dignitatem quandam, & nobilitatem recipiunt: ac denique quatenus post vniuersale iudicium

R. P. Christoph. de Ortega de Deo vno & Trino.


omnia per Christum instaurabuntur, atque à seruitute corruptionis per ipsum liberata nouum quandam splendorem habebunt, vt prædixit Paul. ad Roman. 8. *expectatio creatura reuelationem filiorum Dei expectat quoniam & ipsa liberabitur à seruitute corruptionis in libertatem gloria filiorum Dei.* Idcirco Theodoretus, & Occumen. in id ad Hebræ 2. vt pro omnibus gustaret mortem creatis omnibus proficuum fuisse mortem Christ. dixerunt. Cæterum earum rerum officiis eiusmodi Christus, Dominus potius, quam caput ostenditur. Hæc quippe non sunt magis Christi membra, quàm sic Domini, aut Patris familias, aut Regis membrum suppelle: licet eam quandoque ornent, atque in suorum membrorum vltus impendant.



DISPVATIO V.

De iudiciaria Christi dignitate, & potestate.

**A**c de re comuniter disputatur à Theologis in vita Christi & à S. Th. q. 59. verum potestatis, & dignitatis huius consideratio, ac secundum quam naturam Christo Domino competat, atque, ad quos diiudicandos extendatur controuersum huius propriissima semper nobis visa est, licet de die, loco & modo in vniuersali iudicio seruandis exacta, siue disputatio, siue historia in eum locum merito videatur remittenda.



QVÆSTIO I.

An Christo homini competat iudiciaria dignitas, & potestas?

**R**ia in hac questione supponenda potius, quàm disputanda. Primum: Christo, quæ Deus est, iudiciariam potestatem, eamque supremam competere. In quem sensum illud Ioan. 5. *Potestatem dedit ei, Filio, iudicium facere, quia filius hominis est.* Intelligunt Chrysost. hom. 38. Ioan. circa med. Theophylact. & Euthym. causalis quippe illa aptum sensum non reddit, inquit, nisi adiungatur sequentibus puncto immediatè ante adhibito, vt legitur. *Quia filius hominis est nolite mirari in eo: qui etiam Deus est, vt deinceps ostendit.* Secundum: iudiciariam hanc diuinam potestatem appropriatiuè Christo competere: quia vt acutè S. Th. quæst. 59. art. 1. corp. quia Christus Verbum est, cui appropriatiuè competit sapientia, ac proinde iudiciaria potestas, quæ sapientiæ est; licet potestatem, & rectitudinem necessario supponat. Tertium: diuinam hanc iudiciariam potestatem, & dignitatem Christo homini per communicationem idiomatum conuenire. Id quod citato loco à Christo asserti sensuit Cyrillus 2. in Ioan. cap. 144. Disputatur ergo an humanitas Christi iudiciariam potestatem & diuinam inferiorem ad prauas honestasque creaturarum rationalium actiones iudicandas habeat?

NNa CERTA

## CERTAMEN I.

*Affirmatiua conclusio dogmatica est.*

**I**udiciariam hanc potestatem humanitati Christi denegarunt erroneè quotquot vel animi immortalitatem: vel diuinam negarunt prouidentiam, quotquot item creati arbitrij libertatem sunt inficiati, ac Deum malorum operum authorem fecere. Hi verò sunt Gnostici, Borboriani, Manichæi, alijque similes hæretici belluini teste Pilastrio, Prateolo, & Castro sub eorum nominibus. Eadem potestatem humanitati Christi negasse refertur scotus in. 4. d. 48. q. 1. immeritò tamen: solum enim ei negat iudiciariam potestatem diuinam, vt ex ratione, & contextu patet. Nec magis fauent huic errori Chrysof. Theophylacti & Euthym. proximè, neque Athanas. ferm. 4. contra Arrian. Tertullian. contra Praxeam, c. 16. Ambros. 2. de fide c. 4. Cyril. Alex. 2. in Ioan. c. 140. exegefi de incarnat. ad Valerian. & lib. 2. ad Reginas. c. quod *Christus sit verus Deus, etiamsi filius hominis appelletur.* S. Th. q. 59. a. 1. referens August. c. 31. de vera religione locum Ioannis. 5. de iudiciaria potestate diuinitatis Christi, non humanitatis interpretantes: quia de diuina suprema potestate, & increata loquuntur, nec de inferiori, licet vniuersali, iudiciaria humanitatis agebant, vt ex ratione data à tribus primis constat: clariorque ex facili contextu capitis ob quem in eam interpretationem omnes eunt. Concepto enim, inquit, à Iudæis odio in Christum, quòd se Deo æquaret, suam apertius diuinitatem prædicat ostenditque ex eo, quod à Patre eadem operandi, quæ Pater, & eius potentiam eandem receperit, atque potestatem omnes iudicandi acceperit ab ipso, vt omnes, inquit, *honorificent filium, sicut honorificant Patrem.* Equalitas autem honoris cum Patre ex potestate operandi, & iudicandi, nisi eadem cum Patris potestate, & purè diuina, quæ humanitati Christi non conuenit, malè probaretur, ostendereturque à Christo, inquit Patres citati. Quare, & hanc solum eo loci contineri aiunt, & humanitati negant, non autem hanc, de qua in præfenti disquirimus.

2 Catholicam ergo affirmatiuam sententiam nostram docent Theologi omnes vetustiores in 4. d. 48. vbi, & S. Th. & 3. p. q. 59. a. 2. vbi Theologi nouiores eius interpretes Dominicani, & nostri Vasquez & Soar. d. 52. sect. 1. & quamvis citati Patres loco illo Ioannis. 5. iudiciariam potestatem humanitatis Christi non contineri, sed solum Deitatis, siue Christi, quæ Deus est, iudicauerint; Augustinus tamen. 1. de Trinit. c. 13. & tract. 21. in Ioan. Hieronym. ad illud Isai. 27. *Mittam in Sion lapidem probatum, & ponam iudicium in pondere: fufusque in id Psalm. 74. cum accepero tempus ego iustitias iudicabo.* Cyprian. 2. contra Iudæ. c. 28. & lib. 3. ad Quirin. c. 33. contra censent iudiciariam potestatem humanitatis Christi, non autem Deitatis eo loci contineri, & merito. Sic enim textus habet: *Neque enim Pater iudicat quemquam, sed omne iudicium dedit filio: atqui Pater iudicio, seu iudiciariâ potestate diuina iudicat iudicauitque omnes: ergo iudicium siue iudiciaria potestas, quam sibi datam à Patre Christus ait, non suæ Deitatis potestas communis sibi cum Patre, sed peculiaris, ac propria suæ humanitatis est, vt arguit Augustinus loco citato de Trinit.*

Dices appropriatiuè iudicium propriè diuinum Filio diuino competere, vt dicebamus in quæstionis præfatione. Sed contra: quia communia quæ cumque alicui ex personis appropriantur, negari de aliis absolutè nequeunt, vt patet in sapientia, quæ de Patre, & spiritu negari absolutè nequeunt, licet Filio approprietur, & in dilectione appropriata Spiritui Sancto, quæ tamen negari nequit Patri & Filio.

Dices & secundo: subintelligi particulari *solum* Pater solus neminem iudicare dicatur. Sed commentitiâ huius additionis nullum in textu fundamentum est: imò sic, nec Filius solus omne iudicium habere dici posset: cum sine Patre, & spiritu s. iudicare diuino modo nequeat.

3 Id ipsum ex contextu facillè probatur. Etenim Iudæis calumniantibus, quòd paralyticum in Sabbato curasset, respondet nihil in eo mali commississe, vt que vt hominem, quia Dei filius etiam erat, ac proinde, qui nihil nisi è Dei Patris imitatione. *Non sicut filius à se facere quidquam, nisi, quod viderit Patrem facientem:* ait filius Deus, quæ talis non ex visione, & imitatione actionum paternarum operatur quæ Pater, sed ex consortio eadem operatur: ergo Christus de se, vt homo, est etiam filius Dei per vniõnem, loquitur. Confirmatur ex ratione, quæ probat se videte opera Patris, quæ imitetur, *Pater enim diligit filium, & omnia demonstrat ei, quacumque fecit.* Christo autem filio, quæ Deus scientiam suorum operum Pater ex dilectione non communicat, sed naturali generatione. Loquitur autem de scientia practica: subdit enim: *& maiora tuis demonstrabit.* In quibus enumerat potestatem suam vtique humanitatis suscitandi mortuos. *Sicut Pater suscitauit mortuos, sic, & filius.* Vt ex potestate hac suæ humanitatis ad iudicium eiusdem potestatem iudiciariam suadeat: *Neque enim Pater iudicat quemquam, sed omne iudicium dedit filio vt omnes honorificent filium, sicut honorificant Patrem:* cuius nomine venit, qui misit illum, Pergit. *Nolite mirari hoc: quia venit hora, in qua omnes, qui in monumentis sunt audient vocem filij Dei.* Est enim potestas suscitandi mortuos sensibilius, ac proinde mirabilior, licet non maior potestate iudiciaria, sicut Pater habet vitam, aliorum, in se merito virtute, & potestate, vt vitâ eos suscitando donet, sic dedit, & filio, quæ homini teste Cyrillo, vitam, aliorum, habere, potestate, & virtute in se merito: sicut autem, & sic, proportionem dicunt, non æqualitatem potestatis: *& potestatem dedit ei iudicium facere, quia filius hominis est.* Et scilicet, quæ homini vt censet probatque August. 20. de ciuit. c. 6. tract. 19. & 22. in Ioan. & locis supra citatis. Beda ibi. Rupert. 5. in Ioan. Tertul. contra Praxeam: quia *filius hominis legitur, quæ filius hominis eius potestatis clarius designantes subiectum, quod vulgatae scuriosus. Consentient Latini reliqui Patres, & Scholastici omnes in 4. d. 48. & cum S. Th. 3. p. q. 59. a. 2. vbi Vasquez & Soar. qui & d. 52. sect. 1. 8. Præterea certum est. satique Hieronym. Isai. 50. explicans de Christo illa sicut audio sic iudico, quibus Christus, vt de se, qua homine, locutus crederetur. Concluse statim num. 30. sicut audio iudico, & iudicium meum iustum est: quia non quero voluntatem meam, mei, quæ hominis, sed eius, quid misit me, quæ solum, vt hominum, quòque modo de me sum locutus, mea non est.*

4 Probatur secundò ex Actorum. 10. vbi Petrus enumeratis omnibus mysterijs Christi, hominis, mirum passionis & resurrectionis potestatem iudiciariam vt humanitatis eiusdem ostenderet sic proposuit: *Præcepit nobis predicare populo, quia ipse est qui constitutus est à Deo iudex viuorum & mortuorum.* Illud autem constitutus à Deo operationem Dei à dextra, quæ circa ipsum, qua hominem solum esse potuit, aperte significat. Probatur tertio, & clarius ex Actor 17. vbi sic Paulus de Christo Domino: *in quo iudicaturus est, Deus, orbem in æquitate, in viua, in qua statuit, fidem præbens omnibus, suscitans eum à mortuis.* Probatur quarto ex Matthæo c. 13. vbi de postremo vniuersali iudicio ait. *Tunc mittet filius hominis Angelos suos. c. 16. Filius hominis venturus est in gloria Patris sed cum Angelis suis, & tunc reddet unicuique secundum opera sua, eumque filij hominis ad ænum iudiciorum describit. c. 24. & 25.*

Probatur

Probatur quinto ex Luca 12. *qua hora non putatis filius hominis veniet.* Vtique per iudicia particularia atque, vt semel plura, quæ ex Euangelio induci possent perstringam, quoties de Christi iudicio agitur ab Euangelistis non nisi filius hominis appellatur, clara concordique Euangelistarum contestatione iudiciariam hanc potestatem Christo, quæ filius hominis, siue qua homo est, conuenire. Sexto denique probatur ex Danielis 5. vbi ita vniuersale iudicium describitur: *Throni pestri sunt, & antiquus dierum sedet &c. & ecce cum nubibus celi quasi filius hominis veniebat, & vsque ad antiquum dierum peruenit, & dedit ei potestatem honorem, & regnum.* Ad quæ Rupert. c. 13. in Daniel ait. *Manifestè descriptum esse iudicium diuinum: non tamen esse dictum quale per manum, vel personam sit agendum. Non enim iudicabit per semetipsum ille antiquus dierum: sed, vt ipse Dominus dixit omne iudicium dedit filio diuinitatis nempè à iudicio Filij, quæ Deus est: hoc enim, & Pater, qui antiquus dierum appellatur, certo iudicabit.*

CERTAMEN II.

Rationibus Theologicis, & obiectionum solutione eadem veritas stabilitur.

1 Probatur primò ratione. Iudiciaria hæc humanitatis Christi potestas, quæ hæc humanitatis Christi dignitas, & potestas illi non repugnat, eamque maxime decet, debita insuper ipsi est, & vnionis hypostaticæ iure, & suorum meritorum titulo: ergo fuit Christi humanitati concessa: sicut de aliis dignitatibus humanitatis arguebamus. Probatur secundo; quia Regiæ & Sacerdotalis dignitatis purè creatæ est iudicare de rectè factis vel lecus subditorum, legitime, & Dei, & suarum obseruatorum præmiare, transgressores punire: ergo, & eminentioris virtutis dignitatis, & regalis, & Sacerdotalis humanitatis Christi erit de subditorum omnium suorum bonè, vel malè factis iudicare, obseruantes præmiare, & transgressores punire. Imò in humanitate Christi prior est, quam in Regibus, & sacerdotibus purè creatis ad hanc potestatem iudiciariam ratio, vt diuinarum etiam legitime transgressiones, vel obseruantias diiudicare, præmiare, vel pœna componere debeat. Cum enim gratiæ omnis ad earum obseruationem meritis suis auctor, Dominusque, quæ homo sit, de bono, vel malo vsu gratiæ suæ quemque iudicare, debitæque mercede afficere ad eum in primis, quæ hominem, spectabit: quam sanè rationem sæpè in Euangelio suo Christus Dominus variis parabolis, ac similitudinibus expressit: hominis viri nobilis ac Regis, minas, talenta, & alia seruis suis ad negotiationem impertientium, ac postea rationem negotiationis cum illis ponentium, industriis præmiantium, desidēs & fœcordes punientium.

2 Succedant pro hac veritate plures non inefficaces congruentiæ. Prima sit S. Th. loco citato: quia oportuit ad suam iudicij, cum hominibus præsertim, habendi prouidentiam, vt per hominem iudicarentur. Sit secunda ex Augustino t. 9. tract. 13. in Ioan. ante med. quia mediâ corporum resurrectione per Christi humanitatem factâ, homines ad iudicium finale vocantur: ac proinde, & sunt ab ipso iudicandi: nam vocatio authoritatiua, dignaque homine Christo, ac non feruili, qualis erit Angelorum iudicij denuntiatorum, à sola iudiciaria potestate esse potest. Tertia sit ex eodem Augustino t. 4. tract. de vera religione c. 31. à med. quia æquum est, vt iudicandi omnes iudicem suum videant: atqui Christus, quæ Deus videri ab hominibus iudicantis nequit: mali siquidem, ac reprobis homines Deum videre non poterunt: ergo Christi

R. P. Christoph. de Ortegna, de Deo vno & Trino.

stus, quæ homo iudex constituendus fuit. Sit quarta, & vltima nostra: vt nimirum Deus suam causam cum malis, ac probis hominibus in eorum damnatione amplius, apertiusque iustificaret: cum ea sententia in reprobos feratur ab homine, non solum ipsis affini, sed adeo antehac amatore, vt in humanitate illa, quæ eos condemnat, tæc tantæque pœcorum salute opprobria, tormenta, crucem denique plagas, & mortem pro eorum salute pertulerit. Atque hanc quidem, fortasse nostrarum amore, non iudicamus inefficaciorem.

3 Contra hanc Catholicam veritatem obiicitur primò. Iudiciaria potestatis est, debitam malis ac bonis mercedem conferre: atqui præmium bonis conferre non est Christi, quæ homo, sed quæ Deus est: ergo, nec iudiciaria potestas est Christi, quæ homo est, sed quæ Deus. Minor, quæ sola probatione opus habet, suadetur: quia iustos, seu bonos præmiare est eos beare: atqui humanitas Christi non potest, sed sola diuinitas: ergo humanitas Christi non potest bonos præmiare siue eis mercedem conferre. Distinguo maiorem conferre mercedem physicè, & executiuè nego maiorem; conferre iudicando, quæ cuique præmij, vel supplicij debeat: ac præciendo, vt infligatur supplicium, vel præmium donetur, concedo maiorem. Id quod in omni humano iudicio & potestate claret. In quo iudice, & Principes, nec præmium, nec pœnam iudicatis physicè infligunt, sed ministri alij. Et distinguo minorem non conferre physicè executiuè mercedem, fateor maiorem, in quo solo sensu probatur; non conferre iudicatiuè, seu præceptiuè nego minorem, & nego consequentiam. Quæ quidem solutio planior, faciliorque est ea, quam huic obiectioni dedit S. Thomas: cuius vim, & profunditatem me non assequi fateor ingenuè.

4 Obiicit secundo S. Thomas: iudiciaria potestate in homines occulta cordium iudicanda sunt: ergo eius tantum erit iudiciaria potestas, cuius fuerit occultorum cordis scientia: atque hæc propria est Deitatis, non humanitatis Christi: ergo, nec humanitatis Christi erit iudiciaria potestas. Sublimum probatur ex Psalmista dicente *seruans corda, & renes Deus.* Et Hierem. 17. *Prauum est cor hominis, & inscrutabile: quis cognoscat illud? Ego, Dominus seruans corda, & probans renes, qui do unicuique iuxta viam suam.* Respondet bene S. Th. distinguendo subsumptum. Cognitio secretorum cordis solum conuenit Deo *de se, ac per se* concedo antecedens; absolutè nego. Eam quippe Deus potest communicare, communicauitque de facto plarium sectetorum cordis scientiam sanctis pluribus tam in lege veteri, quam in noua Euangelica: Christo autem, quæ homini, omnium etiam secretorum perfectissimam cognitionem dedit. Vnde Apostolus: *Nolite antetempus iudicare, quoad usque veniat Dominus, Iesus in secundo aduentu, qui, & illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium.* Ad Rom. 2. *in die eum iudicabit Deus occulta hominum per Iesum Christum.*

5 Obiicit tertio: quia ad Deum, & supremum iudicem spectat præmia iustis, & pœnam malis taxare pro meritorum quantitate: ergo ante quodvis iudicium humanum Christi, iam est sententia à Deo lata: solamque relinquatur humanitati Christi illius promulgatio, quæ non est sententia, aut iudicium proprium. Ergo humanitas Christi iudicare nequit. Nego consequentiam primam. Nam iudicium illud primum Dei non est sententia quovisque voluntas efficax accedat inferendi pœnam, vel conferendi præmium. Etenim de malis operibus viuendum, quia absolutè non iudicantur, eiusmodi iudicium adest diuinum, & tamen quia voluntas efficax absolutè eos præmiandi vel puniendi abest, absolutè non iudicantur. Circa præmium autem, vel pœnam æternam, ad quam absolutum iudicium, de quo loquimur in præfati, est in Deo primum iudicium; & voluntas taxans eiusmodi præmium

N N n n 2 decedent

decedentibus in gratia, & poenam hanc decedentibus in peccato vniuersim: at hæc non sunt sententia, sed lex, & regula, cui iudex omnium hominum in particulari in ferendo iudicio se conformabit: non secus, ac iudices humani in puniendis hominibus se legibus Principum, & populorum conformant, cum sententiam in reos ferunt, quin ob id ex iudiciaria potestate non se gerere censeantur. Humanitas ergo Christi de singulis hominibus sententiam iuxta Dei legem generalem feret ex iudiciaria sua potestate, cui Deus est suprema sua potestate omnino subscribet: sicut Princeps suis legibus conformes iudicium suorum sententias confirmat.

\*\*\*

## QVÆSTIO II.

### De subditis eiusmodi iudiciaria potestatis humanitatis Christi.

**Q**UOS homines iudiciaria huius potestatis humanitatis Christi subditos esse ea omnia probant testimonia, quæ hæctenus eam de humanitate Christi potestatem probarunt: atque insuper Paulus 2. Corinth. 15. & ad Rom. 14. expressit dicens: *omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi, ut unusquisque referat propria corporis prout gesserit*: quare de solis Angelis controuersia esse potest, sintne à Christo ex hac iudiciaria humanitatis potestate iudicandi?

## CERTAMEN I.

### Aliorum opinioniones.

**A**ngelos iudicio vniuersali adstitutos, vt Christi stipitatores satellites, & iudicis ministros, dubium non est. An vero adstituti sint, vt iudicandi Origen. hom. 13. in Lucam, & 20. ac 24. in numer. asserit: quia de operibus, quæ in Beatitudine gesserunt iudicandos à Christo homine censet erronee. Quin locum habeat benigna S. Th. interpretatio 1. p. q. 113. art. 4. ipse autem 3. p. q. 59. art. 6. affirmat iudicandos. Primo indirecte, ratione eorum, quæ per ipsos in commendatis hominibus aguntur: quorum dispensatio ex meritis Christi est. Secundo, quatenus ex præmio commendatorum sibi hominum gaudium bonis Angelis accretet; ex poena autem condemnatorum in malis Angelis augetur poena iudicio illo, atque æternè in infernum ab eo die recludentur, vnde Marci 1. apud Iesum Dæmones conquerebantur: *venisti ante tempus perdere nos*. Sed hæc omnia, inquit, solo Dei iudicio directè de eorum meritis, vel demeritis habito fiunt, non ex iudicio Christi honoris: cum eis ad bene operandum gratia, non est Christi meritis, sed ex Dei voluntate sola fuerit collata. Sequuntur S. Th. eius interpretes Dominici ibi, atque alij Dominicani in 4. d. 47. vbi & S. Th. cum pluribus ex antiquis q. 1. art. 3. quæstiuncula 4. Valentia. 4. d. 11. q. 4. punct. 2. Vasquez d. 49. cap. 2. num. 10. §. *Hanc igitur sententiam* versus finem.

2. Contra verò Angelos omnes de suis operibus, meritisque, ac demeritis iudicandos à Christi humanitate fore: præmiūque, vel poenam, etiam essentialem, ipsius sententia reportaturos docent S. Bonau. in 4. d. 47. art. 1. q. 4. Ricard. q. 6. Soar. 3. p. t. 2. d. 57. sect. 9. §. *secundo dicendum est* probarique potest autoritate Iustini Mart. dialogo cum Triphone recitati, & laudati ab Irenæo. 5. contra hæres. cap. 33. ab Euseb. Cæsar. 4. histor. cap. 17. alias 18. à Nicephoro lib. 4. cap. 6. qui omnes ideo aiunt Dæmones nondum igne inferni

puniri, nec puniendos, quousque iudicio vniuersali Christo habendo damnentur. Addit Oecumen. non solum eo vsque ignem inferni non passuros, sed ignoraturos etiam sibi esse paratum, vt deinceps torquentur. Sed duo hæc etiam à tantis Patribus addita, asserenda ac defendenda minimè sunt: neque eis admissis conclusio, quoad essentialia præmiū, & poenam probatur: quia igneus demonum cruciatus ad accidentalem poenam, non ad essentialiam, spectat: vt in damnatione omnibus contingit, quorum essentialis poena in punitione visionis Dei consistit. Secundo, neque poena sensus, siue cruciatuum valori demeritio peccati Angelici in omnibus Angelis videtur sub iudiciariam Christi potestatem cadere posse.

3. Tertia sententia esse potest: quoad poenam & præmiū essentialia plures Angelos, ac dæmones iudicandos à Christi humanitate fore, non autem omnes, siue Dæmones, siue Angelos. Ratio est facilis ex dictis controu. 6. d. 3. q. 3. & controu. 7. d. 4. q. 3. cert. 2. num. 4. Etenim præter Angelos primorum parentum custodes, ac eorundem parentum tentatores dæmones, reliquis siue bonis siue prauis Angelis omnia dona gratiæ etiam auxiliantis, ne laberentur, Christus fuit promeritus: ergo Christus de bono, vel malo eorum vsu transgrediendo, vt obseruando eos iudicabit. Consequencia est legitima probataque satis q. 1. cert. 2. sub med. atque admissa ab aduersariis Vasquez, & Soar. pro sententia 1. citatis. Etenim ad gratiæ Dominum & authorem iudicium de bono eius vsu spectat, vt mille parabolis Christus Dominus Scribis & Phariseis, ac Discipulis suis docuit in Euangelio. In his autem omnibus opinionibus, nostrisque conclusionibus subiiciendis aduertendum est de iudicio vniuersali esse intelligendas. Cum enim Christus Dominus damnationis, vel saluationis Angelorum tempore nondum existeret, neque eis damnandis, vel præmandis sententia sua intercessisse certum est: nemo enim nondum existens actus iudicandi exercere vultenus potest: quare neque sententiam valet præferre.

## CERTAMEN II.

### Nostra sententia conclusiones.

**D**ico primò: Christus quæ homo Angelos omnes iudicauit vniuersali iudicio saltem quoad præmiū, & poenam accidentalem. Et conclusio omnium Patrum, & Theologorum, pro secunda sententia. Probat 1. ex 1. Corinth. 6. *Nescitis, quia, & Angelos iudicabimus*, eo nimirum modo, quo Apostoli cum Christo in vniuersali iudicio iudicari dicuntur. Neque solum iudicio indirecto, quo hominum, vel Angelis commendatorum, vel à demonibus tentatorum iudicandi sunt, sed directo quoad præmiū, vel poenam saltem accidentalem eorum. Etenim eodem modo iudicandos à se, & perfectis viris Angelos, atque mundum docent, vt bene Ambrosius ibi: atqui mundus directè iudicandus à Christo, & ab Apostolis iudicio illo vniuersali est: ergo & Angeli ita etiam sunt iudicandi. Confirmatur: quia iudicium solum indirectum alicuius, absolute & propriè iudicium illius, siue de illo non est: ergo, cum absolute dicitur Angelos iudicandos esse, directè iudicandos esse dicitur. Probat 2. secundo ex Clemente Romano 7. constit. cap. 33. & Lactantio Firmiano lib. 7. cap. 26. dicentibus venturum Christum in throno regni sui ad condemnandum diabolum stundi deceptorem: atqui cuiuslibet condemnati proprium, directumque de eo iudicium importat, vt patet: ergo directo iudicio mali Angelis, quare & boni iudicandi à Christo iunt.

2. Probat 3. tertio conclusio ex 2. Petri. 2. vbi dicitur:

tur: si Deus Angelis peccantibus non peperit, sed videntibus inferni detractis in tartarum tradidit cruciandos in iudicium referuari. Vtique iudicandos, & puniendos, vt exponunt August. 11. de ciuitat. Dei. c. 33. & lib. 21. c. 23. & lib. de natura boni. c. 33. cui sententiæ accinit S. Andreas Apostolus apud Abdiam Babylonic. lib. 3. Confirmatur: quia, licet ex hoc loco malè intulerint Iustinus Martyr, Irenæ. & reliqui Patres citati cert. 1. num. 2. Dæmones vsque ad diem iudicij igne inferni cruciandos non fore: ast bene referuari in iudicium vniuersali Christi cruciandos intelligunt, siue, vt crucientur: ast iudicium de alicuius cruciati- bus directum est: ergo iudicio vniuersali Dæmones à Christo iudicabuntur. Dixi bene construi, & intelligi ab eis Patribus Petri locum, vt in diem iudicij referuandi Dæmones dicantur cruciandi, siue, vt crucientur. Licet enim statim, atque peccarunt, priuato iudicio iudicati à Deo fuerint, atque in gehennam ignis immissi, sicut homines in peccato ante Christum morientes, non tamen iudicio vniuersali, quo, & cum his iudicabuntur à Christo, perpetuèque in Inferno recludentur, & carcerabuntur, ne in hunc prodeant mundum. Sicut Apocal. 12. & 20. Diabolus, qui seducebat eos dicitur: missus est in stagnum ignis, & sulphuris vbi, & Bestia, & Pseudo Propheeta cruciabantur die, ac nocte in sacula seculorum: atqui homines, Christi etiam antecessores, dum iudicio illo vniuersali de suis cruciati- bus æternam sententiã audiunt, directè iudicabuntur, licet longè antea iudicio priuato fuerint à Deo damnati: ergo, & Dæmones directè tunc iudicabuntur.

3 Dico secundo: Angeli omnes quod præmium, & pœnam suarum actionum essentiali iudicio illo vniuersali à Christi Domini humanitate iudicabuntur. Habet eisdem Patrones. De eorum pluribus constat ex peculiari ratione data ex nostris principijs pro tertia sententiã cert. 1. num. 3. quia exceptis custodijs, & tentatorijs Protopatentium nostrorum, Angelis omnibus grauiam, primam etiam auxiliantem, ne laberentur Christus fuit, quã homo, promeritus: ergo iudicium de eius bono vel malo vsu ad ipsum spectat. Probatur secundo: quia nequit iudicium pœnæ cruciatuum ob prauam actionem alicuius ad aliquid spectare, quin de tota eius malitia iudicium ferendum sit: ac proinde de toto demerito, & pœna ipsi debita, cuius precipua pars est pœna essentialis: atqui iudicium pœnæ cruciatuum ob transgressionem malorum Angelorum ad Christi humanitatem spectat: ergo, & iudicium pœnæ essentialis illorum: ergo, & præmij essentialis, & accidentalis bonorum: tum quia indecens Christum hominem esse de solis malis Angelis iudicare posse: tum quia ad bonorũ honorem pertinet publico illo vniuersali iudicij plausu, & laude præmiari. Probatur tertio: quia vniuersali iudicij potestas, etiam in Angelos humanitati Christi est possibilis, atque ipsam maximè decet: ergo ei fuit de facto concessa. Probatur quarto: quia ex Angelis, & hominibus vna moralis, & spiritualis Respublica coalescit: ergo oportet, vt tota sub vno, vtrorũque, quoad præmium, & pœnam, Christo qui omnium Princeps, & Rex est, iudice sit.

4 Duo opponi hæc possunt. Primum: quia iudicij particularibus Angelorum Christus iudex non est: cum ante ipsum fuerint peracta, & absoluta: iudicium autem vniuersale iudicium proprium non sit, sed particularium propositio, & euulgatio, quæ iudicij potestatis actus non est. Sed obiectio hæc multum probat, scilicet vniuersale iudicium non esse proprium actum iudicij potestatis hominis Christi, quod est erroneum, contra expressã scripturæ testimonia, quæ saltem omnium hominum, etiam antecessorum Christi iudicium proprium vniuersale habendum, quorum iam à Deo priuata habita fuere, manifestè statuunt. Quæ de re q3. cert. 1. secundum:

quod Christus solum dicatur iudicaturus viuos, & mortuos, scilicet homines non autem Angelos. Sed nunquid in viuis Angelis intelligi nequeunt? Secundo, licet non intelligantur, solum euincitur ibi expressum non esse iudicium futurum à Christo de Angelis: ast alibi citatis testimonijs continetur, atque illo Ioan. 5. omne iudicium dedit filio. Denique dices: de eis solum posse Christum iudicare, quorum gratiæ author fuit: ast non fuit gratiæ omnium Angelorum per nos. Respondetur posse quidem de eis eo titulo, sed de eis, & reliquis ob rationes datas.

QVÆSTIO III

De actibus iudicariæ potestatis humanitatis Christi.

**D**VO sunt vniuersim iudicariæ potestatis creatæ actus: Alter discussionis causæ per testes, qui in Dei, atque humanitatis Christi iudicij locum non habet. Suo enim modo vterque nostrarum actionum institutionem habet, eaque omnes iudicandis instantaneè in memoriam reuocabit, vt propterea Malach. 3. dicatur *Accedam ad vos in iudicio, & ero testis velox maleficis* iuxta Theodoret. & Hieronym. ibi, atque August. 2. de ciuit. c. 26. licet, vt prauis nihil in eo iudicio occultum fore suadeat iudicis exacti in causæ discussione ad instar se gesturum Deus dicat Ioel. 3. Isai. 43. ac Christus Matth. 25. quare diuisio iudicij Dei, & Christi, in discussionem, & sententiam tradita ab Ambros. ferm. 20. in Psalm. 118. vel. 2. Hilar. enarrat. in Psalm. 1. Basilij hom. in eundem Psalm. ad id *Nō resurgent impij in iudicio*, & Gregor. M. 26. moral. c. 20. impropria est. Cum discussio solum metaphoricè Deo, atque homini Christo conueniat. Alter actus iudicariæ potestatis est ferre de causa discussa sententiam, qui propriè, & Deo, & Christi humanitati potest competere. Diuiditur autem hic actus communiter in actum iudicij particularis, statim, ac iudicandi statum viatorum, merendique, ac demerendi egrediuntur, atque iudicij vniuersalis ad mundi finem habendi, & de vtroque examinare oportet, an actus propriè iudicariæ potestatis humanitatis Christi sit. Sed prius vtrumque iudicium statuendum est.

CERTAMEN I.

Iudicium vniuersale statuitur.

**I**Vniuersale iudicium futurum à Christo Domino esse ea omnia suadent, quæ pro potestate iudicariæ hominis Christi, siue in Angelos, siue in homines ex Scriptura, & Patribus protulimus, nec locum dubitationi reliquit Catholicis Christus Dominus in Euangelio: vbi ipse iudicij à se habendi formam rigorem, & reliqua præter diem admodum minute, non semel designauit, vt non tam futuri prænuntium, quam præteriti exactissima historia, quæ rem ipsam oculis præsentem faciat proposuisse videatur. Quod autem vniuersale illud iudicium, & proprium iudicium sit, & actus proprius iudicariæ potestatis, docent Patres, & Theologi omnes ad vnum: atque est planè dogmaticum sapientique in Euangelio expressum, iudemque scripturæ testimonis expresse traditum. Etenim iudicium propriè actus proprius iudicariæ potestatis est: atqui vniuersale iudicium propriè eis locis traditur expresse ab Scriptura: ergo traditur expresse ab Scriptura actus proprius iudicariæ potestatis.

## 656 Controversiæ de honorariis Christi, &c.

tis in illo. Minor probatur primo: quia iudicium vniuersale traditur expressè ab scriptura sine vlla limitatione, vel adiuncto, ex quo inproprie eam vocem accipi denotetur: item nullibi aliàs in Scriptura est aliquid ex quo inproprie vsurpandum eam vocem locis illis suadeatur: deinde nullum ex propria eius vocis acceptione absurdum in Theologia insertur: ergo proprie est accipienda: ergo proprie est in eis locis traditum, & intelligendum iudicium. Probatur secundo: quia in eo iudicio expressè dicitur Christus sententiam prolaturus in causis omnium: atqui hic est actus proprius iudicariæ potestatis.

2 Sed tamen grauis contra hanc Catholicam veritatem sese attollit difficultas ex veritate alia Catholica de iudiciis particularibus. Vt enim cert. 2. monstrabimus, statim, ac vita homines functi sunt, eorum animæ, siue à Deo, siue à Christo, ex quo hic reuixit, de prauis ac bonis operibus in corpore gestis iudicantur: atque vtroque mercedem gloriæ, vel inferni tormenta quisque ex ea sententia subit: ergo in vniuersale iudicium integrum ius dicendi sententiam de eisdem causis non seruat: imò nihil in eo iurisdictionis exercebitur. Probo consequentiam: quia prolata sententia particularis, nec reuocari à Christo potest, nec confirmari: præcipue, quæ à Deo de animabus hominum antecessorum Christi prolata est: à quo supremo iudice non est ad hominem Christum, qua talem, inferioris potestatis, & dignitatis iudicem provocatio, siue appellatio, quæ firmitus iudicium, & sententiam Dei reddat. Quæ actiones solum videntur à iudicariæ potestate Christi posse procedere: imò neque sententiæ illius particularis intimatio, siue denuntiatio ad animas iudicatas restat faciendæ: cum in iudiciis particularibus post hominis obitum habitis vel habendis, cuique animarum sententia à iudice Deo vel Christo iudice intimetur, eamque vnaquæque audiat: ita vt deinceps de sua forte anxia, dubiave esse non possit: ergo in illud iudicium vniuersale sola euulgatio sententiæ illius in vnaquamque latè priuatim faciendæ restat: forsque vniuscuiusque bona vel mala propalanda: atqui euulgationis huius actus potestatis iudicariæ non est, sed Scribæ potius, vel præconis: ergo vniuersale illud iudicium non est actus proprius iudicariæ potestatis, siue proprium iudicium, sed solum iudicium, quoad apparentiam.

3 Neque satis est, si dicas euulgationem illam sententiæ particularis nomine alterius factam non esse actum potestatis iudicariæ, sed scribæ, vel præconis: secus autem si nomine proprio fiat, & imperatiuè, nec solum recitatiuè, vt faciendæ à Christo dicitur illis verbis *ite maledicti in aeternum &c. & venite benedicti Patris mei &c.* etenim, cum erga antecessores homines Christus Dominus, qua homo, sententias particulares non tulerit, aut protulerit eas nomine proprio, & quasi ex sua potestate, non nisi quoad speciem poterit euulgare. Responderi tamen facile his potest in iudiciis priuatis hominem totum, nec sententiam audire, neque in ipsum Dei sententiam ferri, sed solum in animam, quæ dubio procul homo non est, sed pars eius fuit, eritque in resurrectione, ac deinceps per æternitatem. Etenim, cum in mortis instanti, in quo primo homines non sunt, & iudicentur homines priuatim, & particularis Dei feratur sententia, non homines iudicantur, audiuntque sententiam, sed animæ, quæ quia in hominis republica caput princeps, & moderatrix corporis fuit, statim, ac gubernatione decessit, merito, licet anticipato ad iudicium, & sententiam in totum hominem ferendam, audit, incipitque pœnas luere. Si ergo sola anima iudiciis priuatis iudicatur, post resurrectionem verò totus homo ex anima & corpore constans, quod antehac iudicatum non fuerat, sententiamque non audierat, aliquid profecto iudicariæ potestatis Christi

sto homini exercendum in vniuersali iudicio erga homines relinquatur: ac proinde iudicium illud, non pura euulgatio sententiæ alterius iudicis, cuiusque nomine faciendæ, sed vera, ac stricta sententia humanitatis Christi proprio nomine, autoritate, & potestate facta censenda est.

4 Sed verò in Angelis, quos proprie vniuersali iudicio iudicandos, vt pote iudicariæ potestatis Christi subditos à nobis designatos, recrudescit difficultas. De eis enim ipsi omnino iam priuatim iudicatis non apparet, quo pacto sententiæ quæ proprie sententiæ sit, ferri postea vniuersali iudicio ab humanitate Christi, dicitur proprio nomine queat: ac aliquid præter euulgationem sententiæ alienæ, scilicet Dei, eiusque nomine, quæ actus proprius iudicariæ potestatis non sit, contineat. Cui tamen difficultati tripliciter occurri posse videtur. Primum: si sententia illa Dei tantum sit lata in Angelos (quod idem de animabus antecessorum Christi dici potest) vsque ad tempus iudicij vniuersalis, quo à Christo similis pœnæ, vel præmij per æternitatem duraturi sententia feratur: quam posterius natura Deus, vt pote supremus omnium iudex confirmat. Id quod videtur satis indicare locus Petri datus q. 2. cert. 2. num. 2. *rudentibus, inferni detractos in terram tradidit cruciandos in iudicium reseruari.* Secundò: si dicatur ex libero Dei decreto huius priuati Dei iudicij confirmationem Christo homini esse reseruatam, cum omne Dei iudicium datum à Patre est. Tertiò: si dicatur antea actum hoc priuatum Dei iudicium non nisi posterius natura ex præuio Christi hominis, qua talis vniuersali iudicio, & sententia habitum ad eò fuisse: atque in vniuersali illius confirmationem. Denique dici planius potest in priuato iudicio licet pœna, vel præmium operis taxata satis fuerit: at reipublice creaturarum rationalium, & publicæ vindictæ non esse satisfactum: quare similem sententiam proferendam à Christo esse cum eis solemnitatibus, qua priuatis sententiis defuerunt: aut vindictæ, & satisfactio publica actus proprius iudicariæ potestatis planè est.

### CERTAMEN II.

#### *Iudicia particularia statuum.*

1 **D**icendum est contra Lactantium Firmian. animas corpore solutas, statimque viæ egressas, Angelosque omnes statim priuatim iudicari, atque adeo, vel Christo homine sententiam de suis operibus audire, præmiūque, vel pœnam eorum recipere quo dubiæ, ac suspensæ de sua sorte, vsque ad iudicium vniuersale relinquatur, vt malè aiebat Lactantius 7. *instaur. c. 21. & fortasse Ambros. 2. de Cain, & Abel. c. 2. & de bono mortis. c. 10. atque verus. Conclusio hæc est de fide, licet expressè in Scriptura non habeatur. Illud enim ad Hebræ. 9. *statutum est omnibus hominibus semel mori, & post hoc iudicium.* Ex verbis ipsi satis de iudicio vniuersali post omnium fere hominum mortem explicaretur cum Oecumenio. Sed tamen, cum reliqui Patres de iudicio particulari post euulgationemque hominis obitum eum locum interpretentur: eam conclusionem eo loci contineri dubitari à viro Catholico nequit. Accedit concursus Patrum de ea veritate sententia. Damascen. *orat. de defunctis. Anas viri diuinitus illustrati, quod tum exhalamus spiritum, quasi in libra humana opera probantur.* Eadem supponunt Aug. de cura pro mortuis agenda c. 11. & M. Gregor. 4. dialogor. c. 36. & 38. probantes reuelationes, de animarum aliquarum iudiciis statim post hominum obitum. Qua de re in sanctorum aliorum vitis extant exempla quam plurima.*

2 Hanc ipsam veritatem late docent, & probant Augustinus idem 20. de ciuit. cap. 1. & 2. de anima, &c.

Eius Orig. cap. 4. ubi habet. *Illud rectissime, & saluberrime creditur: iudicari animas, cum de corporibus exierint, antequam veniant ad illud iudicium, quo eas oportet iam redditis corporibus iudicari.* Tertullian. lib. de anima cap. vlt. Probatum secundo: quia Patres animarum eorum, qui ante Christi mortem obierunt concorditer status tam loco, quam mercede pro factis in vita distinxerunt. Dionys. 6. de Eccl. Hierarch. Aug. in Enchirid. cap. 108. & 109. lib. 13. de ciuit. cap. 10 tract. 49. in Ioan. S. Ignatius Mart. epist. ad Roman. Ambros. lib. 7. epist. 59. lib. 10. epist. vlt. Irenæ. lib. 2. c. 65. 2. & 63. at, nisi præuio earum iudicio, finitque earum causis, ea deanimari loco, & statu distinctio non oportebat. Id quod ex historia epulonis diuitis, & Lazari Lucae 10. indubitatum cenet Irenæus, & Augustin. citato loco de anima verbis hisce: *quis aduersus Euangelium tanta obstinatione mentis obduruit, ut in illo paupere, qui post mortem delatus est in suum Abraham, & in illo diuite, cuius infernus cruciatus exponitur ista non audiat, vel audita non credit? Quid clarius?*

3 Probatum tertio ex Eccl. 11. *facile est coram Deo in die obitus retribueri unicuique iuxta vias suas, & in fine hominis denudatio operum illius.* Quibus, & iudicium, & retributio vniuscuiusque, statim, ac moritur, continetur. Quarto: quia iuxta diuersitatem statum, in quibus homines decedunt, triplex animarum status & locus deputatus ab Ecclesia Catholica tota recognoscitur: & eorum, qui in gratia sine villo debito poenali decedunt, gloria, & cælum statuitur iuxta ad Corinth. 5. *Sciatis, quia, si terrestris domus nostra habitacionis dissoluatur edificacionem ex Deo habemus domum non manu factam, æternam in cælis.* Vnde ad Philip. 1. num. 23. *cupio dissolui, & esse cum Christo aiebatur:* statim nimirum post dissolutionem mortis, alias enim desiderabilis, meliusque esset non mori statim, sed mereri: eorum autem animis, qui in peccato, infernum, & cruciatus esse docet Ecclesia: eorum demum, qui in gratia, sed non cum plena pro delictis poenali satisfactione Purgatorium animis esse ait, quas & securas, certaque de sua beatitudine credit, licet non de cruciatuum suorum duratione determinatâ. Quod solum fortasse voluit Ambros. dum animas incertas de suo statu docuit, vsque ad vniuersale iudicium ex locis Eldæ 4. cap. 5. & 6. ubi id solum de animabus Purgatorij asseritur: at omnium harum animarum quoad præmium, vel poenam suamque sortem certitudo, spes, ac desperatio non nisi sententiâ à iudice audita, haberi potest, præterquam decedentium animis cum solo originali, qui fortasse sententiam non audient, certique aliunde à Deo fient de sui status, quem sibi connaturalem iudicabunt perpetuitate.

4 Ratione eadem veritas probatur: quia viâ statim finito, in hominibus per mortem, vniucuique, siue Angelis, siue homini, merendi ac demerendi tempus finitur: ac proinde & vniuscuiusque causa est conclusa: ergo ex natura rei statim erit iudicium de cuiusque actionibus, meritisque à Deo, vel eo, cui per Deum incumbit, habendum, ferendâque sententiâ: atqui, ut contra rei naturam differatur nulla est ratio: sed plures potius, ut iuxta rei naturam statim feratur sententiâ: atque in animis decedentium in mortali cur statim ferri sententiâ ante iudicium vniuersale debeat ostendimus cert. 1. num. 3. sub med. Decedentium vero in gratia animis non esse differendum iudicium suadet primo, quia æquum non est, ut finito certamine adeo difficili, in quo strenuè adeo animæ se gesserunt, æquales tandiu cum peccatoribus in statu formidinis, dubitationis, & anxietate de sua sorte relinquuntur. Maxime cum eis oriunda necessario afflictio neque ipsis ad salutem, neque Deo ad gloriam inferuire queat; quin proluxa adeo præmij dilatio Deum difficilem, & morosum remuneratorem argueret, non sine aliquali iustitiæ, nedum familiaritatis suæ misericordie iactura.

5 Ex his liquidò apparet tempus priuatorum ho-

rum iudiciorum esse primum instans, quo primo Angelis, & homines viatores esse deserunt: quod in hominibus, ut diximus, est primum mortis instans, in quo & iudicium, siue sententiâ audiunt animæ, & præmium reportant: quare iudicia, quæ aliquo post mortem tempore facta referuntur in nonnullis visionibus ab Aug. de curâ pro mortuis, & Gregor. M. 4. dialogor. cap. 3. & in vita S. Brunonis, & Sancti Ioannis Elemosinarij apud Leontium. Atque ea, quæ à Cyrillo de exitu animæ, Leontio, & concionatoribus dicuntur decedentium animas separatas aliquandiu à demonibus accusari, ab Angelis defendi, atque de causâ exitu incertas hæere horrore plenas, vere quidem quoad substantiam, non quoad modum iudicij, quod sine vlla discussione, atque instantandè fit, dicuntur: appositè quidem, ut tremendi illius iudicij metus hominibus ingeneretur. Alia item iudicia priuata, quæ à sanctis viris visa leguntur apud Gregor. 4. dialogor. cap. 8. Bedam. 5. hist. Anglic. Ioan. Climac. gradu 7. scilicet Paradisi cum causâ discussione exactissima, atque sententiâ moribundis necdum mortui rei, ad speciem solum iudicia fuere sine incutiendi hominibus iudicij horrorem, atque ut viuentibus iudicij diuini rigor, ac dilatae poenitentiae metus incutiatur: cum enim ante mortem nullius causa finita, conclusaque sit, non poterat vera sententiâ ferri. Permittebat igitur Deus demonibus, in durorum peccatorum aliquot poenam, ut ea omnia ipsis representarent, atque illos eiusmodi representationibus in desperationem salutis irgerent, agerentque. Iudiciorum priuatorum, quæ à Deo ante Christi mortem habita sunt nulla est difficultas. Sed de his solum, quæ à Christi humanitate sunt habita, vel habenda. Discutitur autem commodiùs cert. 3.

6 Sciendum denique est iudicia alia diuina particularia esse præter ea, quæ in instanti egressione ab statu viatorum creaturis rationalibus vsu venit: quæ quidem occulta Dei iudicia dicuntur, atque hominibus adhuc viuentibus accidunt sæpè. Dicuntur autem occulta, & secreta Dei iudicia, quia reis non denuntiantur à Deo iudicâre, sed de Dei in ipsos sententiâ, & iudicio insciji homines poenas luunt: quod in iudiciis priuatis post viam, seu vitam finem à Deo habitis nusquam contingit, in quibus semper sententiâ sic iudicatis denuntiantur. Sunt autem ea priuata, & secreta Dei iudicia, in quibus Deus ob venialia etiâ peccata specialibus & efficacibus auxiliis, aliisque gratiæ suæ donis homines priuatim: vel ob bonum gratiæ vsu vberioribus cumulat gratiæ suæ donis. Sic sæpè scriptura ait Deum homines deserere, excæcare, atque obdurare ob peccata; contra vero virtutis studiosis, & in sanctitatis exercitio industriis viris opem ferre, amplioraque gratiæ dona conferre. Vbi autem præmium ob meritâ, ac poena ob demerita à Deo confertur: iudicium abesse non potest. Quare August. 20. de ciuit. cap. 1. ac reliquique Patres sub priuato iudicio duplex iudicium distinguunt: aliud post hominis vitam, aliud viuente homine iudicatum, quod & occultum appellant, ut dicebamus.

### CERTAMEN III.

*Iudicia particularia plura, non tamen omnia sunt à Christi humanitate.*

1 Dico primò. Plura iudicia priuata directâ de operibus, eorumque mercede rationalium creaturarum ab humanitate Christi non fuere. Probatum conclusio: quia ante Christi aduentum Angeli omnes, atque homines plures iudicati sunt: quo tempore à Christo nondum existentis iudicari priuato illo iudicio non potuerunt: quare illud à solo Deo præ-

dictum

factum fuisse certum est. Id quod tam de iudicio priuato, cum primum illi viatores esse desierunt habito: quam de iudicio alio priuato, quod occultum nominatur; habeturque de iis, qui adhuc viatores existunt, intelligendum est: cum æque de vtriusque iudiciis ratio facta probat, vt considerari patebit. Verum quoad accidentale præmiũ, vel supplicium post Christi aduentum, & præcipue ipsius mortem (v. g. gaudij de penitentibus peccatoribus, & denuo saluatis in Beatis omnibus, pœnæque de accessu nouo condemnatorum in damnatis) de eis etiam, qui antecesserunt habitum iudicium ab humanitate Christi fuit. Id enim Christo, cui omne iudicium traditum à Patre fuit, & Beatis gloriosius est, atque damnatis acerbius: nec ratio assignata pro præcipua conclusione quidquam contra hoc præstat: cum iam Christus, iudiciariaque eius potestas existerent.


2 Dico secundò: priuata omnium hominum, qui post Christi mortem iudicati sunt, iudicia non occulta à Christi humanitate fuerunt. Non est adeo communis conclusio, neque adeo in Scriptura expressa. Eam tamen docent Soares; p. 2. d. 5. sect. 2. §. *Tertio omisso* atque à reliquis Theologis prætermittenda potius fuit, quam negata. Probat ex illo Ioan. 5. *omne iudicium dedit filio* similibusque supra datis: quæ cum de iudiciis, etiam his priuatis non occultis, quæ sub omni iudicio continentur, intelligi sine vilo incommodo, possint, Christoque gloriosum, vt homines intelligant Christi misericordia saluandos, vel iudicio damnandos se fore, in ipsiusque reuerentia, & timore viuant, gratumque eam quæ hominibus fatigant habere. Quam sanè rationem Christus Dominus eo loco subiunxit dicens: *vt omnes honorificent Filium, sicut honorificant Patrem.* Ad hanc etiam conclusionem faciunt prima, tertia, & quarta congruentia datæ q. 1. cert. 2. n. 2. quæ in iudicio priuato non occulto, in quo animæ de vita decedentium sententiam super antea factis suis operibus audiunt, eandem habent energiam sicut & duæ rationes datæ ibidem num. 1.

3 At dices: si omnes animæ à Christi humanitate iudicantur: ergo, vel Christus ad hominis decedentis locum aduentat; vel animæ ad Christum deferendæ sunt, vt sententiam audiant: atqui neutrum fieri potest: ergo non iudicantur priuato eo iudicio animæ omnes morientium post Christum. Minor probatur; & primò, quòd Christus ad morientium loca non veniat (licet id videatur docere Innocent. 3. 2. de contempu mundi. c. 43. Eusebius Carthus. 1. 3. c. 46.) Tot enim hominibus morientibus per instantia singula oporteret Christum in perpetuo esse totum, pluribusque præsentis circumscriptionis replicatis: atque iudicem tantum ad iudicandos reos venire, ac non potius hos ad ipsius tribunal deferri. Sed neque id fieri potest (vt putare videntur August. de vanitate seculi. c. 1. Bernard. c. 2. meditat. Hugo Victor. 1. de anima. c. 2. Chrysost. hom. 14. in Matth. & 46. ad populum) Etenim ad cœlum vbi Christus est ad dexteram Dei sedens, quòd nihil coinquinatum ingredi potest, nequeunt iudicandæ perditorum animæ deferri. Item neque de loco corporum eo mutari instantaneè possunt, vt oportet, vt ibi in primò mortis instanti iudicentur. Respondetur facillè neutro opus esse, vt animæ à Christi humanitate iudicentur, sed satis esse & eleuentur intellectualiter ad sententiam audiendam: id quod Patres primi aduentum Christi ad animas, secundi aduentum animarum ad Christi tribunal apellarunt, vt bene Soar. §. *quocirca.*

Dico tertio. Iudicia priuata occulta habita cum vincibus hominibus post Christi mortem à Christi, vel anima, vel humanitate post resurrectionem fuisse. Ita Soar. §. citato *Tertio omisso* vers. fin. de Christi humanitate post resurrectionem. Probat ex Act. 16. vbi Paulum, & socios volentes ire Euangelizatum Bithyniam:

*non permittit eos Spiritus Iesu: in pœnam, haud dubio, incredulitatis, & duritiei provincie illius.* Probat secundò: quia, cum iudicia hæc occulta circa dona gratiæ, vel suspendenda in peccati pœnam, vel vberitate donanda in præmium virtutis tota versentur, ad Christum hominem omnis in homines gratiæ fontem, caput, & authorem spectare in primis videntur. Pro hac etiam conclusione faciunt rationes Theologice, & prima, ac vltima congruentia datæ. q. 5. cert. 2. num. 5. & 2. Hæc sanè omnia, quæ de tota Christi humanitate iudicia hæc occulta susceperunt post resurrectionem, de ipsius anima in triduo mortis eandem conclusionem suadent. Equè enim gloriosum vtrique est, æqueque debitum atque æque respectu vtriusque est possibile.

5 Dico quartò: humanitas Christi, adhuc ante mortem; iudicia hæc occulta hominum præmiaria exercuit, non autem punitiua eorum, licet bene poterit punitiua Dæmonum. Triplicem partem habet conclusio. Prima de iudiciis præmiariis hominum. Probat: quia ab instanti incarnationis iudiciariam potestatem ad ea etiam iudicia occulta habuit: atque iudicia hominum præmiaria non opponantur, sed conducebant eorum saluti, ad quam hominibus impertiendam ex sine incarnationis, suoque munere Redemptoris Christus homo venit, vixitque, quando vixit: ergo ea exercuit quando vixit. Secunda pars negatiua de iudiciis occultis punitiuis hominum probatur ex Ioan. 12. *si quis auerit vultum meum, & non custodierit ea ego non iudico eum.* Ac rursus. *Non veni, vt iudicem mundum, sed vt saluem mundum.* & c. 3. *Non misit Deus filium suum, vt iudicet mundum, sed vt saluetur mundus per ipsum.* In quibus continetur ratio à priori: quia ea iudicia occulta punitiua. Occulta, cum sint de gratiæ denegatione; muneri Redemptoris opponuntur: à quo, quando vixit, nusquam, vel leuissimo actu defecit. Tertia pars affirmatiua de iudicio punitiua dæmonum constat: quia iudiciaria potestas munere Redemptoris illorum, quod nusquam habuit, ab eo exercitio non impediatur: quare eis operata plura denegauit, atque ab hominum oppressorum possessione nolentes eiecit, aliisque sepe compefuit. Quod totum ex iudiciaria etiam humanitatis potestate factum reor.



## DISPUTATIO VI.

## De adoratione, &amp; cultu debito humanitati Christi.



**M**ULTA hic Doctores præter rem examinant, quæ disputationem onerant potius quam honorent. Eiusmodi sunt de natura, & diuisione adorationis. Ad quam virtutem adoratio spectat. Quibusnam actibus exhibetur: inter- nis etiam & insensibilibus, an sensibilibus solum, & externis: similiaque plura controu. de religione à nobis examinanda d. de adoratione in vniuersum sumpta. Inde tamen pauca, in quibus nulla Doctores controuersia est supponenda, quam disputanda nobis in præsentiarum erunt. Adoratio igitur sic generatim definitur: *Honor alicui exhibitus in significationem excellentiæ ipsius respectu honorantis.* Vbi honor exhibitus, genus est. Vnde August. contra ferm. Arrianor. c. 5. aiebat: *Honorat omnis qui adorat: non verò adorat omnis, qui honorat.* Quoniam verò excellentiæ, quas præ nobis in aliis recognoscimus, atque honore exhibitio recognoscere significamus, diuersæ, etiam de super- naturalibus